

Cambridge University Press

978-1-108-04884-2 - Chronica Magistri Rogeri de Houedene: Volume 4

Roger of Hoveden Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

CHRONICA MAGISTRI ROGERI
DE HOVEDEN.

VOL. IV.

A

Cambridge University Press

978-1-108-04884-2 - Chronica Magistri Rogeri de Houedene: Volume 4

Roger of Hoveden Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

Cambridge University Press

978-1-108-04884-2 - Chronica Magistri Rogeri de Houedene: Volume 4

Roger of Hoveden Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

CHRONICA MAGISTRI ROGERI DE HOVEDEN.

PARS POSTERIOR.

Colloquium inter regem Franciæ et regem Angliæ.

Eodem anno,¹ post festum Sancti Hilarii, Philippus rex Franciæ et Ricardus rex Angliæ convenerunt apud Lovers ad colloquium; ubi inter eos consilio hominum suorum ita convenit, quod rex Franciæ quietam clamavit regi Angliæ et hæredibus suis, ab ipso et hæredibus suis, Yssoudun² cum pertinentiis suis, et totum jus quod habuit in Berria, et Alvernia, et Gasconia; et reddit ei quietam castellum de Archis, et comitatum de Auco, et comitatum de Albemaria, et cætera castella multa, quæ occupaverat per guerram. Et hæc contra rex Angliæ quietam clamavit regi Franciæ castellum de Gysorcio,³ et totum Wogesin Normannicum: et ut hæc omnia⁴ rata haberentur, statuerunt inter se poenam xv. millia marcarum argenti, ita quod ille, qui hanc pacem frangeret, daret alteri xv. millia marcarum argenti, et super hoc invenerunt sibi ad invicem fidejussores.

Præterea rex Franciæ petiit ad opus suum Andeli, manerium Rothomagensis archiepiscopi. Quod cum

¹ *Eodem anno*] Rigord gives Jan. 15 as the date of the treaty, *ed. Pith.*, p. 197. The archbishop of Rouen, in a letter addressed to Ralph de Diceto, gives an account of the conference. This letter shows that it began within the octave of the

Epiphany and lasted three days at least. R. Dic. 686, 687.

² *Yssoudun*] Ysodun, D. I.; Ysoudun, G.

³ *Gysorcio*] Gisorcio, I.

⁴ *omnia*] om. D. I.

A.D. 1196.
January.
Conference
between
Richard and
Philip at
Louviers.

Terms of the
peace made
there.

A.D. 1196.
January.
Claims of
Philip on
the arch-
bishop of
Rouen, who
appeals to
the pope.

nulla ratione fieri posset, rex Franciæ postulavit sibi fieri fidelitatem a Waltero Rothomagensi archiepiscopo de illa parte archiepiscopatus quæ est in regno Franciæ, scilicet de Vogesin le Francais.¹ Videns igitur Rothomagensis archiepiscopus hoc sibi grave et ignominiosum esse, appellavit ad dominum papam pro statu ecclesiæ suæ, et abiit, timens ne dominus suus rex Angliæ ipsum ad hoc faciendum propter favorem regis Franciæ cogeret. O ambitio, quam cæca semper! O quam præsumptio pessima! O quam perdit concessa qui inconcessa captat! Philippus itaque rex Franciæ terrenum obsidens regnum, impugnat cœleste; terrenis inhians irruit in Divina; destinatus ad scelus, ad periculum promptus, paratus ad crimen, causas innocentiae non requirit, jus abnegat; confundit fasque nefasque, cui nequitia est sodalis, cui otiosa est æquitas, iniquitas semper est amica, qui cædibus vivit, qui se munit sanguine, qui crudelitatibus sævit, cui de morte stat totum, de amore constat nihil. O!

Si quoties peccant homines sua fulmina mittat.
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

Ovid. *Trist.*
ii. 33, 34.

Philip resumes hostilities and Richard seizes the property of the sureties of the peace.

Procedente itaque tempore, pœnituit regem Franciæ se talem fecisse cum rege Angliæ conventionem: et magnum congregavit exercitum, et obsedit Albemariam: quo facto, rex Angliæ præcepit saisiri in manu sua, in omni loco dominationis suæ citra mare et ultra, omnes res et possessiones abbatum de Majurmuster,² et de Cluinni,³ et de Sancto Dionisio,⁴ et de la Charite.⁵ Erant enim prædicti abbates fidejussores erga regem Angliæ, quod rex Franciæ⁶ supradictam pacem servaret;

¹ *Francais*] Franceis, B. D. I.

² *Majurmuster*] Geoffrey de Cor-souez, 1187-1210.

³ *Cluinni*] Cluini, I. Hugh of Clermont, 1183-1198.

⁴ *Sancto Dionisio*] Hugh Foucauld, 1186-1197.

⁵ *de la Charite*] Savarie, or William, prior of la Charité.

⁶ MS. G. which now frequently abridges the text, completes the sentence "de pace servanda."

et nisi fecerit, darent regi Angliæ xv. millia marcarum A.D. 1196.
argenti.

Eodem anno Robertus comes Leicestriæ, datis Philippo The earl of Leicester liberated.
regi Franciæ duabus millibus marcis argenti, et quieto
clamato ei castello suo de Pasci, liberatus est a captione
illius.

Eodem anno rex Angliæ misit Philippum Dunel- The elect of Durham and the abbot of Caen sent to visit the justices.
mensem electum, et abbatem de Cadamo¹
in Angliam, ad inquisitionem faciendam de prisus justi-
tiarum, et vicecomitum, et ministrorum suorum. Cum

autem prædictus abbas de Cadamo in Dominica Pas-
sionis Domini pranderet cum Huberto Cantuariensi
archiepiscopo, totius Angliæ summo justitiario, ægro-
tavit in mensa, et quinto die sequenti obiit Londoniis. Death of the abbot, April 11.

Interim Philippus rex Franciæ cepit per vim castellum
de Albemarle, et subvertit illud, et rex Angliæ dedit ei
tria millia marcarum argenti pro redemptione militum
et servientum suorum, qui capti fuerunt in Albemarla. Philip takes Aumale,

Deinde rex Franciæ cepit per vim Nonancurt, et and Nonancourt.
Johannes comes Moretonii, frater Ricardi regis Angliæ, John takes Gameges.
cepit castellum de Gameges.

Eodem anno orta est dissensio inter cives Londo- Disturbances in London.
niarum. Frequentius enim solito propter regis cap-
tionem et alia accidentia imponebantur eis auxilia non
modica, et divites propriis parcentes marsupiis vole-
bant ut pauperes solverent universa. Quod cum qui-
dam legis peritus, videlicet Willelmus cum Barba, William Fitz-Osbert the champion of the poor.
filius Osberti, videret, zelo justitiæ et æquitatis ac-
census, factus est pauperum advocatus; volens quod
unusquisque, tam dives quam pauper, secundum mo-
bilia et facultates suas daret ad universa civitatis
negotia; et abiit ad regem trans mare, et impetravit

¹ *abbatem de Cadamo*] a blank | v. 19.; Stapleton, *Rolls of the Nor-*
for the Christian name. It was | *man Exch.*, i. pp. cli, cliv; and
Robert, the eleventh abbot of S. | D'Achery's notes on the life of
Stephen's, and an officer of the | Lanfranc. MS. G. abridges this
Norman Exchequer. See W. Newb. | paragraph.

A.D. 1196. April. The archbishop's severity towards the discontented. London merchants arrested at Stamford Fair, at Midlent, March 31. Attempted arrest and flight of William Fitz-Osbert. He is dragged from Bow church and hanged. Indignation of the monks of Canterbury at the violation of Bow church.

ab eo pacem sibi et populo. Unde Hubertus Walteri, Cantuariensis archiepiscopus, regis justitiarius, plurimum in iram commotus, præcepit, ut ubicunque aliquis de plebe inveniretur extra civitatem, caperetur tanquam hostis regis et regni. Contigit autem quod in medio Quadragesimæ, apud nundinas de Stanforde, capti sunt quidam mercatores de plebe Londoniensi per præceptum justitiiarii regis. Deinde præcepit idem justitiarius, ut supradictus Willelmus cum Barba ad eum duceretur etiam invitus, ad quem capiendum cum quidam de civibus, Gaufridus nomine, veniret, prædictus Willelmus cum Barba interfecit eum; cumque alii eum capere vellent, ipse aufugit cum quibusdam suorum, et incluserunt se in ecclesia quæ dicitur ecclesia Sanctæ Mariæ del¹ Arche; qui cum inde exire nollent, factus est insultus in eos: et cum nec sic reddere se vellent, ex præcepto archiepiscopi Cantuariensis, regis justitiiarii, appositus est ignis, ut per fumum et vaporem ignis exirent. Cumque prædictus Willelmus exiret, quidam extracto cultello evisceravit eum, et sic ductus est ad turrim Lundoniarum, et ibi judicatus est suspendi. Alligatus² igitur caudæ equi, trahitur per vicos civitatis et plateas, ad patibulum, ac suspensus est, cum octo sociis suis. Cæteri vero cives Lundoniarum, qui adhæserant ei, posuerunt se in misericordia regis, et obsides dederunt de pace servanda regi et regno.

Monachi autem Sanctæ Trinitatis Cantuariensis, scientes quod ecclesia sua Lundoniis, quæ dicitur Sancta Maria del Arche, ita violaretur per præceptum archiepiscopi sui, qui, quamvis regi serviret, tamen ecclesiastica jura deberet servare illæsa, indignati sunt, et gravatum est cor eorum super eum, et non potuerunt cum eo quicquam pacifice loqui.

¹ *del*] de, B. D. I. Gervase gives the date of the catastrophe, April 6, c. 1591.

² *Alligatus*] est, ins. B. D. I.

Cambridge University Press

978-1-108-04884-2 - Chronica Magistri Rogeri de Houedene: Volume 4

Roger of Hoveden Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

PARS POSTERIOR.

7

Eodem anno Ricardus rex Angliæ dedit Othoni nepoti suo comitatum Pictavis.

A.D. 1196
Otho made
count of
Poitou.

Eodem anno cum comitissa Britanniae, mater Arturi, veniret per mandatum Ricardi regis in Normanniam loqui cum eo, venit obviam ei Ranulphus comes Cestriæ, maritus ejus, ad Pontem Ursonis, et cepit eam, et inclusit eam in castello suo apud Sanctum Jacobum de Beverun; quam cum Arturus filius suus liberare non potuit, adhæsit regi Franciæ, et terras regis patris sui combussit; deinde rex Angliæ magno congregato exercitu intravit hostiliter Britanniam, et eam devastavit.

The countess
of Brittany
imprisoned
by her hus-
band.

Arthur joins
Philip, and
Richard in-
vades Brit-
tany.

Interim Gaufridus Eboracensis archiepiscopus tandem ad sedem apostolicam accedens, diutinam moram ibi fecit, dominumque papam in omnibus agendis suis valde sibi difficilem, et contra se supra modum commotum, invenit. Processu vero temporis ipsi et adversariis suis tunc præsentibus data est audientia: et cum prædicta et alia plura ei objicerentur, quæ omnia archiepiscopus falsa esse constanter asseruit, requisiti adversarii utrum proposita probare vellent, post deliberationem petitam et concessam, responderunt se onus probationis nolle suscipere. Archiepiscopus vero se ab objectis immunem esse sufficienter ostendit; unde dominus papa eum de consilio totius curiæ ad officium et beneficium restituens, omnibus prælatis et aliis clericis per Eboracensem diocesim constitutis dedit in mandatis, ut ei tanquam archiepiscopo in omnibus debitam exhiberent reverentiam et obedientiam; insinuans in rescripto suo qualiter archiepiscopus se ab objectis immunem esse, et omnia ab adversariis de eo disseminata falsa et fictitia esse declaravit. Restitutionis vero ejus notitia ad regem Angliæ perveniente, qui archiepiscopum temporalibus jam pridem spoliaverat, et ad ejus, ut dicebatur, cum adversariis suis aspirabat depositionem, valde turbatus fuit, et duobus adversariis suis præcepit, ut se de cura spiritualium

The arch-
bishop of
York meets
his adver-
saries at the
court of
Rome.

The pope
restores him
to his see.

Consterna-
tion of
Richard and
his counsel-
ors.

A.D. 1196.
The king
forbids him
to adminis-
ter his
diocese.

The arch-
bishop re-
turns to
Rome.

Agreement
between
Peter of
Dinan and
Adam of
Thornover
touching the
archdea-
conry of the
West
Riding.

intromitterent, nec archiepiscopum nec officiales suos aliquam habere administrationem permetterent. Ipse etiam rex præbendas Eboracensis ecclesiæ, et alia beneficia vacantia, pro voluntate sua clericis suis concessit et distribuit. Archiepiscopus vero a curia Romana rediens, et in Gallia moram faciens, non ausus terram regis ingredi, cum non posset in conspectu regis gratiam invenire, ut vel temporalium vel spiritualium possessione gauderet, reversus est, et ad curiam Romanam eundi iter arripuit.

Interim dominus rex Angliæ, prece Arturi ducis Britanniæ, et aliorum virorum potentum, dedit Petro de Dinan¹ licentiam agendi contra Adam de Tornovere super archidiaconatu de Westrihing, quem rex præfato Adæ dederat. Inter quos tandem convenit in hunc modum, quod magister Simon Apulus, Eboracensis ecclesiæ decanus, et capitulum ejusdem ecclesiæ, concessione et voluntate prædicti Adæ, receperunt Petrum de Dinan in archidiaconatum de Westrihing, et in stallum miserunt tam in choro quam in capitulo; et ipse Petrus vices suas, et illius archidiaconatus administrationem, commisit ipsi² Adæ de Tornovere sub annua pensione lx. marcarum; statuens quod prædictus Adam archidiaconatum illum in integrum habeat et teneat omnibus diebus vitæ suæ, et reddat ei singulis annis inde xl.³ marcas⁴ de pensione; et si Petrus supervixerit Adam, recipiat archidiaconatum de Westrihing sine aliqua contradictione vel diminutione. Præterea inter illos statutum est, quod quandocunque simul fuerint in Eboraco, unus illorum una die tenebit stallum in choro nomine archidiaconi, et alter illorum

¹ *Dinan*] Originally written thus in A., but altered to Dinant in an early hand, in which very many attempts at the correction of the text are made. B. and G. have *Dinant*.

Peter of Dinan became soon after this bishop of Rennes.

² *ipsi*] om. B. D. I.

³ *xl.*] Savile reads "60."

⁴ *marcus*] argenti, ins. B. I.

altera die similiter, et sic mutabunt vices suas de die in diem quamdiu moram simul fecerint¹ in Eboraco. A.D. 1196.
Partition of
the revenue
and duties.

Et ut hæc² conventio inter illos rata sit, et inviolata permaneat, capitulum Eboraci eam confirmavit sigillo suo: sed antequam hujus conventionis notitia perveniret ad Eboracensem archiepiscopum, ipse hujusmodi litteras patentes misit in Angliam;

“ Gaufridus Dei gratia Eboracensis archiepiscopus, et Angliæ Archbishop
Geoffrey
declares
Adam a
usurper,
“ primas, decanis, presbyteris, et universis clericis per archidiaconatum constitutis, salutem et paternam benedictionem.
“ Noverit universitas vestra nos Petro de Dinan clerico
“ nostro archidiaconatum de Westrihing caritatis intuitu dedisse: in quem Adam de Tornevere, sicut a multis certissime
“ didicimus, nescimus cujus auctoritate, se intrusit, et nomen
“ archidiaconatus sibi usurpat,³ licet ordinatio archidiaconatum, dignitatum, et ecclesiarum nostri archiepiscopatus
“ ad nos ad nos tantum, quibus hoc Divina miseratione est
“ concessum, pertineat. Et idem etiam Adam, post restitutionem a domino papa nobis factam, contra nos et officiales
“ nostros in administratione rerum spiritualium diabolico instinctu se immiscuit. Nos autem quicquid ipse Adam in
“ institutionibus, in excommunicationibus, in suspensionibus
“ et in aliquibus aliis, quæ nomine archidiaconi fecerit, irritantes, et penitus auctoritate nostra adnihilantes, jam dictum and excommunicates
him.
“ Adam excommunicavimus, vobis mandantes, et in virtute
“ obedientiæ præcipientes quatenus in nullo ei de cætero respondereatis, sed ut excommunicatum vitetis.⁴ Præterea vobis
“ notificamus, quod sententiam in Paulinum de Ecburford,⁵ et
“ in alios qui contra obedientiam nobis debitam veniunt, ab officialibus nostris magistro Radulfo de Kima,⁶ et magistro
“ Honorio⁷ non⁸ ratam habemus et confirmamus. Valet.”

Eodem⁹ anno, mense Julii, Philippus Dunelmensis electus ordinatus est in sacerdotem ab Henrico epi- June 15.
Ordination
of Philip
elect of
Durham.

¹ *moram simul fecerint*] simul fuerint, B. I.

² *Et ut hæc*] omitted in B. D. I. with the following letter.

³ *usurpat*] usurpavit, Savile.

⁴ *vitetis*] habeatis, Savile.

⁵ *Ecburford*] Etburford, G.; Eburford, Savile.

⁶ *Radulfo de Kima*] Shortly

afterwards archdeacon of Cleveland and precentor of York.

⁷ *Honorio*] Afterwards archdeacon of Richmond.

⁸ *non*] So MS. A.; om. G., which is probably right.

⁹ *Eodem*] Here MSS. B. D. I. resume.

Cambridge University Press

978-1-108-04884-2 - Chronica Magistri Rogeri de Houedene: Volume 4

Roger of Hoveden Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

A.D. 1196.
June 15.
Ordination
of Philip of
Poictou.

War be-
tween the
king of
Scots and
the earl of
Orkney.

Submission
of the earl;
his promises.

The earl
fails to ful-
fil his en-
gagements.

scopo de Landaf, apud Dunelmum, in ecclesia Sancti Cuthberti, xviii^o kalendas Julii, Sabbato in hebdomada Pentecostes.

Eodem anno Willelmus rex Scottorum, magno congregato exercitu, intravit Moreviam ad debellandum Haroldum Macmadit,¹ qui terram illam occupaverat. Sed antequam rex Cathaniam intraret, Haroldus fugit ad naves suas, nolens contra regem bellum inire. Tunc misit rex Scottorum exercitum suum ad Turseham,² villam prædicti Haroldi, et castellum suum ibidem situm prostravit. Videns autem Haroldus quod rex terram suam ex toto devastaret, venit ad pedes regis, et posuit se in misericordia ejus, maxime quia tempestas sæviebat in mari, et ventus erat ei contrarius, volenti ad Orchardam³ insulam ire; et juravit regi quod adduceret illi omnes inimicos suos, cum rex alia vice rediret in Murreviam; et per illam conditionem permisit eum rex tenere medietatem Chathaniæ, et aliam medietatem Cathaniæ dedit rex Haroldo juniore,⁴ nepoti Reginaldi quondam comitis de Orkeneia et de Cathania. Deinde reversus est rex in terram suam, et Haroldus in Orchardiam.⁵

Deinde in autumnio rediit rex Scottorum in Murreviam usque ad Ilvernarran,⁶ ut reciperet ab Haroldo⁷ inimicos suos; quos cum Haroldus produxisset usque ad portum de Locloy prope Dilvernarran, permisit eos abire; et sero, redeunte rege de venatu, venit ad eum Haroldus adducens secum duos pueros nepotes suos ad tradendum regi in obsides; et interrogatus ab rege ubi essent inimici ejus, quos tradere debuerat, et ubi esset

¹ *Haroldum Macmadit*] Harald son of Madach earl of Athol, was earl of Orkney from 1138, when he was quite a child, to 1206.

² *Turseham*] That is Thurso.

³ *Orchadam*] Orcadam, B. I.

⁴ *Haroldo juniore*] Harald son of Eric and Ingigerda, daughter of

Ronald, who had shared the earldom of Orkney during the youth of Harald Mac Madach; Robertson, *Scotland, &c.*, pp. 405-411.

⁵ *Orchadum*] Orkeneiam, B. D. I.

⁶ *Ilvernarran*] Now Nairn.

⁷ *Haroldo*] Haroldo, D. I.